

XIII. THERMAE SELINUNTIAE (*Sciaccia*).

Aquae Larodes dictae aut Labodes (*aquis larodis* est in itineraio Antoniniano p. 89, *aquas labodes* in Peutingerano similiterque apud Ravennatem 5, 3) cum distent secundum itineraria (Anton. p. 88. 89 et Peut. p. 3) ab Agrigento m. p. XL, a Lilybaeo m. p. XLV, aperte incidunt in oppidum quod nunc est Sciaccia, ad quod vere adhuc scaturiunt aquae calidae. Eaedem videntur esse (τὰ θερμὰ ὕδατα) τὰ Σελινούντια Strabonis 6, 2, 9 p. 275, quamquam Sciaccia a Selinunte satis longe distat, itemque Thermae a Mela 2, 7, 118 et Plinio 3, 8, 90 collocatae inter Agrigentum et Lilybaeum; denique quod a Diodoro 4, 78 describitur σπήλαιον κατὰ τὴν Σελινούντιαν χώραν. Nam et quae de his

Diodorus tradit optime cum locorum natura conveniunt neque aliae aquae calidae in his partibus ullae reperiuntur. Rem publicam nullo tempore Thermae Selinuntiae habuerunt, nam quos eius generis auctorum locos viri docti ad eas rettulerunt, reliquos re accurate examinata apparet pertinere ad Thermenses Himeraeos; Plinius autem et fortasse Mela quoque Thermas utrasque confuderunt neque ob aliam causam coloniae condicionem ille his Thermis adscripsit. Titulus unus hoc loco inventus aperte spectat ad stationem viae mediam inter Agrigentum et Lilybaeum refectam ab iis ad quos ea res quarto saeculo pertinebat.

7200 ad Thermas Selinuntias pro foribus domus Mariani Leofantis [Mariani Elephantis baronis Verdarae GVALT.] iuxta portam balneorum CAIET. GVALT.

Caietanus († 1620) isagoge p. 368; Gualterus n. 223 = 117 (ex hoc Spon p. 275; Fabrett. 659, 499; Torremuzza VII, 4; Donat. 221, 1 ex Sponio). Orelli 3181.

4 CONTANTIS Gualt. ed. 2. — AAVVCC Gualt., AVVGG Caiet. — 6 RVNT om. in spatio vacuo Caiet. — 7 DVLCISIVS Caiet. — 9 IN REB ET om. spatio vacuo relicto Caiet.

a. 340/350

PRO BEATITVDINE
TEMPORVM DD NN
CONSTANTI · ET
CONSTANTIS AAVVGG
5 STATIONEM A SOLO FECE
RVNT VI TRASIVS ORFITVS ET FL
DVLCITIVS VV CC CONSVLARES
P · S · INSTANTE FL · VALERIANO
DVCENARIO AGENTE IN REB ET PP CVRSVS
10 P V B L I C I

*Pro beatitudine temporum d(omino-
rum) n(ostorum) Constanti et Con-
stantis Aug(ustorum) stationem a solo
fecerunt Vitrasius Orfitus et Fl(avius)
Dulcitius v(iri) c(larissimi) consulares
p(rovinciae) S(ciliciae), instante Fl(a-
vio) Valeriano ducenario agente in
reb(us) et p(rae)p(osito) cursus pu-
blici.*

XIV. SELINVS (*Selinunte prope Castel Vetrano*).

Selinuntem postquam Carthaginienses vi expugnatam diruerunt a. a. Chr. 409 = u. c. 345, non resurrexit: οὐτε γὰρ, Strabo ait 6, 2, 6 p. 272, συνοικουμένην ἴσμεν . . . Σελινούντια, neque obstat (v. praef. p. 713) quod inter stipendiarios Romanorum apud Plinium 3, 8, 91

nominantur *Selinuntii* reditque *Selinus oppidum* apud eundem c. 90. Apud Ptolemaeum 3, 4, 5 nominantur Σελινούντος ποταμοῦ ἐκβολαί. Titulos inde habemus Graecos nullos, Latinum unum aetatis infimae.

7201 in lapide magno tofaceo. Selinunte rep. a. 1859 exeunte in fundo Nicolai Triolo incirca un chilometro ad oriente dei tempj fuori all acropoli, sopra un umile sepolcro VIVIANI. Hodie Panormi in museo.

crux, a qua
pendent

A Ω
AVSANIVS
DIACONVS
IN PACE VIX
5 ANNIS IXV
DEPOSITVS
VII IDVS IANVS

Recognovi. Ed. Salinas *arch. stor. Siciliano* N. S. a. 1 (1876) p. 481 adhibita epistula, quam reperto eo lapide ad praefectos rebus antiquis dedit canonicus Castelvtranensis Viviani d. 22 Nov. 1862.

Quinti saeculi esse iudicat Rossius apud Salinam.

XV. MAZARA (*Mazara*).

(C. I. Gr. 5493. 5494.)

Ad ostia fluvii Mazararum, cuius meminerunt Diodorus 14, 86. 13, 54, Plinius 3, 8, 91 (*libri mater*), Ptolemaeus (3, 4, 5, ubi ineptum additamentum τοῦ καὶ Μάζαρα abest ab optimo libro Vat. 191), Selinuntii, quorum ager fuit, emporium condiderunt (Diodorus 13, 54. 23, 9, 4;

Stephanus Byz. s. v.) fuitque ibi sub imperatoribus viae statio (Itin. Ant. p. 89: *Mazaris*), sed quae rem publicam non magis habuisse videatur. Nam ut somnia sunt quae de Selinuntina re publica translata Mazaram indigenae proferunt, ita rei publicae Mazarenensis apud auctores